



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LVIII. Cur Salvator mundi nudus in cruce affigi, & pro nobis  
nudus mortem subire voluerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](#)

## CONSIDERATIO LVIII.

**Cur Salvator mundi nudus in cruce pendere, & nudus mori pro nobis voluerit?**

*Milites acceperunt vestimenta ejus. Joan. 19. 23.*

1.

**U**T umbra corpori, sic figura in Sacra Scriptura debet correspondere suo figurato. Adam primus omnium parens Christi Domini figura & umbra fuit, prout in antecedentibus explicavimus, oportet ergo, ut & figuratum cum sua umbra correspondeat. Adam in meridie peccavit, dum manus ad arborem scientia boni & mali extendit: eadem horâ Christus ad crucem manus suas expandit. Adam quia nudus erat, summoperè post lapsum erubuit: Christus hanc nuditatem in cruce luit: *Tota die vere Psal. 43. 16. cundia mea contra me est, & confusio faciei mea cooperuit me.* Adam horâ nonâ diei, hoc est apud nos, horâ tertiarâ pomeridianâ nudus è paradiſo ejectus est: Christus eadem horâ nudus paradiſum ingressus est. Adam erubescens nuditatem, Occidentem respiciebat, prout probat Mallo-nius & alii, ubi audivit vocem Domini deambulantis ad auram post meridiem: Christus, ut Patrem placaret, faciem suam in cruce ad Occidentem convertit. Adam ut tegeret nuditatem carnis, ad arbusta confugit & ad folia sicûs, quibus inferiorem partem contexit: Christus, ut aliquo modo erubescientiam suam tegeret, velo eâ parte contestus est, quam natura tegendam docet. Nescio, an tormentum ullum aliud pientissimo Redemptori nostro gravius acciderit, quam de-nudatio ante crucifixionem, ubi nudus stabat coram tot efferatis ho-sibus. O impudici! attendite & considerate, vos causa estis hujus injuria & contumelie.

2. Revertor ad Adam: Ad quid, obsecro, in nuditate tua pavidus latitas in medio ligni paradiſi, dicens de longe ad DEum adventantem: *Vocem tuam audivi in paradiſo, & timui, eò quod nudus essem?* Noli Gen. 3. 10. amplius formidare, ô Adam! progredere, & in montem Calvarium te confer, en habes hic nuditatis tuæ socium, ipsum Dei Filium; si

E e 2

memi-

memineris adhuc, audiisti ex ore illius olim in paradiso: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Jam tu illi, sed omni cum humilitate, improperare potes: *Ecce Deus quasi unus ex nobis factus est;* Ego nudus in paradiso, & tu nudus in cruce? sic nimis luit Dominus, quod quondam deliquerit servus. O filii Adam! omnes nos nudi egredimur ex utero Matris nostrae: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & natus revertar illic;* dicebat quondam patientissimus Job; sed advertè hic,

Job. I. 21.

*Matth. 22. 12.* anime mi, non nudi admittentur in regnum æterni Patris: *Anime, dicebat quondam Rex ad mendicum, quomodo hic intrasti, non habens vestem nuptiale?* Et tu sine hac ueste nuptiali & sine bonis operibus vis intrare in regna cœlorum? hoc non credo. Veniamus ad alia.

3. Noë Patriarcha nudus in tabernaculo dormiens, & ab exēcrando filio Cham irrisus, ac protervè illusus pari modo Christi in cruce nudati figura fuit à Judæorum populo subsannati: *Prætereunt autem blasphemabant eum moventes capita sua &c.* Sed observa: Noë à Sem & Japhet retrosum ad patrem suum accedentibus pallio honestè cooperitus fuit: Sic piè credendum est, Christum ab initio quidem, detractis violenter uestibus, toto corpore nudatum ad suam acceptissime crucem, sed heu! quo & quanto cum rubore ac verecundia!

*S. Birg. lib. I. 1.* inde verò velo quodam circa verenda esse velatum. Ita refert *S. Birgitta* multorum arcanorum Dei conscia, cui Beatisima iuxta ad dolorosissima Virgo & Mater insinuavit: *Filio meo stante, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens apporitavat velamen, quo ipse exultans intimè, velabat verenda sua;* quod velamen Aquisgrani adhuc hodie religiosè affervatur, cuius particulam non levem in Monte Sancto Andechs in superiori Bavaria quondam conspicatus sum.

2. *Reg. 6. 20.* Michol Regis Davidis uxor, ubi eum vidit denudatum, & coram arca Domini subsilientem atque saltantem, in corde suo despexit eum, ac redeuenti dixit: *Quam glorus fuit hodie Rex Israël, disperiens se ante ancillas servorum suorum.* & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris. Angelomus & alii allegoricè hoc exponunt de Christo in cruce nudato: *In qua cruce, ait, velut nudus eis apparuit, dum potentiam divinitatis sue illis abscondens, infirmitatem tantum carnis ostendit.* Et quemadmodum David nudus, Ephod tamen linea præcinctus à Michol irrisus & subsannatus est, ita & Christus, Filius David, nudus, solo linteolo tectus impia Synagogæ in cruce summo ludibrio expositus fuit: *Omnis videntes me, deriserunt me.* O vermis, & non homo! *Oprobrium hominum, & abjectio plebis;* & quemadmodum vermis intuentibus horrore est, & sine misericordia à prætereuntibus pedibus conculcatur: ita & Christus in passione & crucifixione plenus vulneribus & denudatus, horro-

Angelom.  
hic.

Psal. 21. 8.

horrorem faciebat aspicientibus, non enim erat ei species neque decor; conculcatus autem fuit, prout ipse per os Regii Vatis ad Patrem clamavit: *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo.* Textus Chaldaicus legit: *Adversarius meus, homo peccator,* qui dum mortaliter peccat, iterum crucifigit, & calcat Christum. O JESU! verè omnium hominum abjectissime & miserrime! quousque te ob salutem animæ meæ humiliasti, ut ex inferni faucibus me redimeres? Et ego non amem te? *Oblivioni detur dextera mea, abharet lingua faucibus meis, si non Psal 136. 5.* meninero tui, o JESU pro me crucifixe!

5. Joseph in pluribus typus Christi fuit, dum à Patre missus est ad fratres pascentes oves: Sic Christus, ait S. Ambrosius, à Patre mis-  
sus est in carnem, ut nos, quasi fratres suos, salvaret: dum à perfidis de Joseph,  
& invidis fratribus, quasi agnus mansuetus à truculentis lupis, captus, cap. 2.  
ligatus, illitus, in veterem cisternam fune demissus, & exinde Ilmaë-  
litis viginti argenteis venditus est; Ac tunc præsertim Christum præ-  
signavit, ubi nudaverunt eum tunica talari, & polynitā, mittentes, qui ferrent Gen. 37. v. 23.  
ad patrem, & dicentes: *Hanc invenimus, vide utrum tunica filii tui sit, an non?* & 32.  
quam tunicam dilaceratam, & in sanguine hoedi intinctam, ubi pater  
vidit & agnovit, cum lacrymis exclamavit: *Tunica filii mei est, fera pes-  
sima comedit eum, bestia devoravit Joseph, scissisque vestibus induitus est cilicio, lu-  
gens filium suum multo tempore.*

Ad te me converto, o Virgo & Mater dolorosissima! quis tibi  
tunc erat sensus, quando ipsa præsens in Calvariæ rupe vidisti illam  
tunicam, quam tu quondam fecisti, nunc proprio Filii tui sanguine  
intinctam, ipsumque denudatum, & jam tertio excoriatum, ac tan-  
dém in infami ligno luctuosissimâ ac miserrimâ morte expirantem?  
ad cuius conspectum sol obscuratus est, & tenebra facta sunt super uni-  
versam terram; Quid, inquam, tu ad hæc, o Virgo & Mater omnium  
afflictissima? Recordare hujus confusionis & ignominiae intolerabilis;  
& succurre nobis, quando nudi egrediemur de hoc mortali corpore,  
ut non æternum pati debeamus confusionem.

6. Hic adimpletum fuit illud Isaiae de Christo vaticinum: *Et ex- 1sa. 25. 12.*  
tendet manus suas, sicut extendit natans ad natandum. Mergebatur tunc  
Mundus, & totum genus humanum erat in pericolosissimo constitu-  
tum naufragio; nemo juvare poterat, nisi solus D E U S & Homo  
Christus: Quid fecit? Pro omnibus nobis, ac singulis nudus, vestes-  
que in manibus carnificum linquens, in cruentum doloris pelagus se  
projicit, ut nos naufragos è profundo peccatorum & æterna perdi-  
tione eriperet. Audi ipsum per os Jessæi Vatis loquentem: *Veni in al- Psal 68. 3.*  
titudinem maris, & tempestas demersit me. O JESU! o Amor crucifixe!

222 Consideratio LVIII. De nuditate Christi in cruce.


Gal 2. 20  
S. Bernh. fer.  
42. in Cant.

quantum tibi obligatus est Mundus, & omnis homo vivens, quia unus pro omnibus mortuus es; quam veritatem ponderans, & recognoscens S. Paulus dixit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hoc est, subintrad hic S. Bernhardus: *Tradidit semetipsum pro me, quis eadem charitate, quam mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis;* & pro me & te; ô Lector charissime! Quid ergo illi retribuemus?

Waddingus  
in Annalib. &  
Hadr. Lyr.  
114. c. 4.

7. S. Bernhardinus Senensis adhuc adolescentis se ipsum nudo IESU in cruce pendenti consecravit; Cùm enim in illa ætate florente ignoraret, quam vitæ rationem & statum deberet eligere, ad crucifixum Dominum se recepit, coram cuius imagine humiliter prostratus, divinam exquirebat voluntatem, quidnam in re tanti momenti sibi esset agendum? Et ecce ab ore pientissimi Redemptoris nostri crucifixi has voces attentâ aure audivit: *Fili mi, tu me vides hic nudum, & clavis affixum cruci: Si me diligis, hic quares, & invenies: sed tu nudus sis, & crucifixus, ut ego sun, sic me facilius invenies.* Quibus Christi verbis commotus, S. Franciscum Seraphicum, quem nudum Christum crucifixum secutum & ita piissimè mortuum optimè agnoverat, & ipse pro omni possibili modo sequi decrevit. Ecce quam verum sit, quod

S. Hieron. c. 3. S. Hieronymus in sua Regula ad Eustochium quondam scripsit: *Iudicatus Jesus nudos querit amicos & Sponsos.* Quomodo tibi, ô Lector! hæc lectio placet? Visne esse opulentus, vel potius nudum sectari Christum?



CON-